



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 1. Quid est Dominium & quotuplex?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

id, quod suum est, vel quod sibi debetur. Div.  
2. In varias species.

Q. 3. *Quanam sunt species Juris realis?*

Resp. Sunt Dominium, usus, usufructus, servitus, Emphiteusis, feudum, Pignus, & Hypotheca, quibus affinis est possessio; hinc aliqua, cetera alibi exponentur.

### §. I.

#### *De Dominio.*

Q. 1. *Quid est Dominium, & quotuplex?*

Resp. **Q** Dominium in genere est Jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tanquam sua, unde duplex est, Jurisdictionis, & proprietatis. Dominium Jurisdictionis est potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo scilicet, prohibendo, judicando, puniendo, &c. Duplex est, aliud politicum, seu sæculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in Regibus, & aliis Principibus: aliud Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa & Episcopis, &c. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, iudicare, punire, remunerare.

Dominium proprietatis, de quo solo hinc agitur, est Jus disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu suo nomine, arbitrato, & au-  
cto-

toritate, nisi lex, vel pactum obsistat. Quod addo, quia ejus usus potest lege, vel pactione impediri: sic Pupillus non potest bona sua alienare, licet sit eorum Dominus; nec debitor pignus, quamvis sit eius Dominus, ob pactionem cum creditore initam.

Dividitur 1. in altum, quod habet Resp. seu Princeps, disponendi de bonis, & actionibus privatorum ad bonum commune; & in humile, quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis, in proprium commodum. 2. In plenum seu perfectum, quod est Jus disponendi de re, & fructibus eius, tanquam suis; & non plenum, quod est Jus disponendi, vel de sola re, vel de solis emolumentis; unde subdividitur in directum, quo quis habet solam proprietatem rei sine Jure percipiendi eius fructus, & in utile, quod est Jus disponendi de fructibus, & emolumentis rei non de ipsa re.

*Q. 2. Quenam subjiciuntur Dominio hominis?*

*Resp. I.* Res omnes externæ, & inferiores, usibus humanis subiectæ, cadunt sub Dominium hominis Jure naturæ, ut agri, montes, flumina, plantæ, bestię, metalla, & alia similia. Ex Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Nam homo habet à natura potestatem disponendi de illis in suum commodum.

*Resp. II.* Ex communi Doctorum sententia, homo non habet Jure naturæ Dominium in alterum